



Novissima Delflandiæ, Schielandiæ et circumiacentium insularum ut Voornæ, Overflackeæ, Goeree, Iselmondæ, aliarumque tabula

Kaart van het zuidelijk deel van Holland, Marcus Zuerius Boxhorn, 1632

<https://hdl.handle.net/1874/20430>

MARCI BOXHORN-ZVERII.



Hol-36

omnem ita excludunt, & hydromilis exhausti atque ex-
ficcant, ut terra, quæ nullo ante usui erat, sationi & ho-
minum cultui longe aptissima reddatur. Agri autem istius-

modi, præsertim frumentarij, fertilitate & fæcunditate sua re-
liquos omnes, testante quotidiana experientia, longo inter-
vallo post se relinquunt.

C A P V T III.

Divisio Hollandiæ. Australis & Septentrionalis. utriusque urbes & termini. Australis stricte sumta. Maeßlandia. Schielandia. Delpholandia. Rhenolandia. Kinheimaria. unde dicta. Ca-
ninefates. eorum situs. Iunij sententia confirmata contra Divæcum & Heuterum. Amstelan-
dia. Waeterlandia. Marsaci qui, & unde dicti. Westfrisia. Frisiapones qui, & unde dicti. Goy-
landia. unde appellata. Sturij qui sint. Iunij sententia confutata. Plinius emendatus. Trajectum an
principia urbs Hollandiæ. Quæ & quanta olim Trajectensis Episcopi in Hollandia auctoritas.

HOLLANDIA est omnis divisa in suas par-
tes: vulgo quidem à situ in Australem & Sep-
temtrionalem. Australis complectitur hæc
fere op'ida, Dordrechtum, omnium caput, Har-
emum, Delfum, Leydam, Amstelodamum, Gou-
dam, Rotterodamum, Gorichemum, Schiedamum,
Schoonhoviam, Brielam, quibus accedunt Gertrudisberga, Heusda,
Worcomium, Viana, Woerda, Oudewatera, Iselsteinum, Aspera, Heu-
elolum, Leerdamum, Naerda, Wesopum, Muda. Septemtrionali
tribuuntur Alcmarta, Horna, Enchusa, Edamum, Monachodamum,
Medenblicum, & Purmerenda. Observandum tamen est, Harle-
num atque Amstelodamum, ratione juris ac regiminis Eccle-
siastici, Septemtrionali Hollandiæ ad censeri. Synodi enim,
ad quas frequentes Sacrorum Ministri confluere solent, in

utraque Hollandia quotannis semel celebrantur. In his illa,
quæ Rempublicam Ecclesiasticam, atque ortas in ea lites &
controversias spectant, communibus omnium suffragiis dis-
ceptantur. Hollandiæ autem Australis & Septemtrionalis
incolæ ut sedibus, ita lingua quoque, legibus, habitu ac viven-
ti instituto haud parum inter se distant. Hollandia etiam in
Australem, Maeßlandiam, Schielandiam, Delpholandiam,
Rhenolandiam, Kermelandiam, Goylandiam, Amstelan-
diam, Westfrisiam, & Waeterlandiam dividitur. Australis qui-
dem, vocabulo ejus stricte sumto, Insulas, Dordracensem, A-
blafferdamensem, Clunderam, cum territoriis Viana, Gori-
chemo, Leerdamo, Altena, Heusda, Gertrudisberga, Se-
venberga, & circumiacentibus nonnullis regiunculis,
quas nobis ista Hollandiæ Tabula exhibet, complectitur.

C

Baliu-